PEREXIMIO HONORVMQVE PHILOSOPHICORVM DIGNISSIMO
CANDIDATO
BERNHARDO IACOBO DEGENIO
AFFINI ET AMICO SVO SVAVISSIMO
S. D.
C. G. SCHVVARZIVS. P. P.

REligio mihi eſt, TE non publice iam alloqui, DEGENI in paucis chare, neque tibi promeritum laudis teſtimonium impertire: ut ILLVSTRIBVS PATRIAE PROCERIBVS, MAECENATIBVSque, et aliis, conſtet, quam bene recteque tempus apud nos hucusque collocaris. Neque enim uitam Academicam alia libertate, quam quae in uirtute eſt poſita, metituses; neque, qui uulgaris multorum error eſt, lubricam et praecipitem ſtudiorum iniiſti uiam; ſed, humanitate et philoſophia rite praemunitus, ad arcem uerae, et inprimis diuinioris, eruditionis alacriter nauiterque contendis. Haud tritum hoc, ſed tutum certe iter eſt, quod te, ſine metu lapſionis, ad metam perducit, ut tandem, curſu feliciter confecto, decus aſſiduitatis et modeſtiae animo propoſitum ex uoto conſequare. Ea uero TIBI diuinitus contigit indoles, quae liberalis doctrinae maxime eſt capax, et ipſa ſe excitat, eximiasque animi facultates non ſolum laudatiſſimis, quibus abundas, exemplis; ſed et exercitatione, confirmat, et perficit. Atque adeo, quod felix fauſtumque ſit, iam nunc campum ingrederis, in quo tua ſe induſtria explicat, et ingenii tui uim, doctrinaeque copiam, in luce ponit, eamque optimis quibusque ingeniorum exiſtimatoribus felici ſucceſſu approbat. Quo propius igitur adhuc bonae mentis tuae dotes inſpexi; et quo magis rectiſſimis ſuauiſſimisque moribus et inſtitutis tuis oblector: hoc impenſius TIBI, tam bene praeclareque agenti, applaudo, et honores, quos tuo capeſſes merito, fortunatos eſſe iubeo, ut, DEI IMMORTALIS praeſidio adiutus, maturos cumulatosque uirtutis ac ſtudiorum fructus referas, et ex omni parte expleas ſpem ac uota OPTIMORVM PARENTVM TVORVM, ſimulque feliciter ſuſtineas decus nominis, quod A PARENTE LVSTRICO, hodie PRIMARIO, EOQVE SVMME VENERANDO, SAXONVM THEOLOGO, auſpicatiſſime ducis. Vale.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M

Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black